B. N. C
FIRENZE
1008
21

1008. 21

A 1

HENRICI REGII
ULTRAJECTINI

CONCILIATIO LOCORUM S. SCRIPTURÆ

Cum

Diurnâ & Annuâ Telluris Circum-rotatione.



TRAJECTI ad RHENUM,
Typis *Theodori ab Ackerſdyck*, & *Giberti à Zyll*,
CIƆ IƆ C LVIII.

CAROLUS FABRICIUS
Lectori Benevolo S.

Cum Viri quidam Eruditi nuper V. Cl. H. Regium, loca quædam S. Scripturæ, quæ adverſus Circumrotationem Telluris diurnam & annuam à nonnullis produci ſolent, explicantem audiviſſent: ita explicatio ejus ipſis arriſit; ut magno iſtius habendæ deſiderio ſe teneri fuerint teſtati. His itaque, aliiſque veritatis amantibus, ut gratificarer; illam, ab Authore impetratam, in publicum proferendam putavi. Idque tanto magis; quòd eadem illa Sacra Teſtimonia, à nonnullis aliis Viris Doctis nuperrimè, magno ſtudio, in utramque partem, fuerint agitata. Vale.

HENRI-

ULTRAJECTINI

Conciliatio Locorum S. Scripturæ

Cum

Diurnâ & Annuâ Telluris Circumrotatione.

Quamvis, ut nocturnis tenebris vix quicquam obſcurius, ita diurnâ luce nihil in Telluris globo inveniatur clarius: modus tamen, quo diurnum lumen quotidie in Terris à Sole producitur, tantâ obſcuritate eſt involutus; ut plerique, non tantum ex indoctis, ſed doctrinâ & ingenii culturâ etiam claris, hactenus intellectu, veram diei noctiſque rationem, nondum ſatis aſſecuti eſſe videantur. Cum enim Telluris globus circumvolutione, quâ circum ſuum axem, ſpatio viginti quatuor horarum, ab occaſu in ortum, quotidie ſemel circumvolvitur, revera nobis diem noctemque viciſſim efficiat: & diem quidem in illâ Telluris parte, quæ Soli obverſa radios ejus excipit; noctem verò iſtâ, quę, à Sole averſa, radiorum lumen excipere non poteſt. Quæ ratio diei & noctis quamvis ſit facillima, & quibuſvis phænomenis, apparentiiſve, tum cœleſtibus, tum terreſtribus, rectè diſſolvendis & explicandis, convenientiſſima; ac proinde pro veriſſimâ habenda: Plurimi tamen huic fidem adhibere hactenus gravantur; maluntque credere, Solem, cum omnibus planetis, & toto vaſtiſſimo, innumeriſque miliarium myriadibus undique à nobis diſtante, ſtellifero cœlo, infandum vaſtiſſimorum corporum cœleſtium numerum, immenſo ſuo ſpatio, continente, intra viginti quatuor horas, ab oriente in occidentem, inæſtimabili celeritate, circum quieſcentem Tellurem, circumrapi; eâque ratione in diverſis Telluris partibus diem noctemque viciſſim, per radios Solis, ita cum toto cœlo circumrapti, immiſſos vel amiſſos, produci. Quæ ſententia ſi eſſet vera, præter alias graviſſimas difficultates inde ſecuturas, neceſſariò ineffabilis & incredibilis illa cœli circumrapti celeritas, & vehementia, omnem ventorum & procellarum vehementiſſimarum vim & impetum quàm longiſſimè ſuperans, omnia,

quæ in rerum Naturâ ſenſibus obſervantur, ut ſtellas fixas, planetas, globum Telluris, homines, beſtias, ſtirpes, metalla, lapides, & ſi quæ ſint alia corpora, diſiiceret, comminueret, & in ſubtiliſſimam ſcobem, inſtar ætheris, converteret. Tantùm autem abeſt, ut illi, qui hic nobis adverſantur, opinionem ſuam à vero alienam, propterea mutent, ut etiam noſtram, licet veriſſimam, multorum abſurdorum, tum à ratione humanâ, tum à Sacrarum Literarum teſtimoniis petitorum, ante hac convincere fuerint conati.

Et quantum ad abſurditates attinet, quas illi per abſurdiſſimam ratiocinationem, adverſus hanc veriſſimam circumrotationem Telluris producere conſueverunt, illæ à me aliiſque viris eruditis, jam ante multos annos, ſolidè fuerunt refutatæ. Clariſſimas enim evidentiſſimaſque, atque irrefutabiles in Phyſicis noſtris exhibuimus demonſtrationes, quæ cuivis æquo & intelligenti, manifeſtiſſimè, imò palpabiliter, atque ad ſenſum oſtendunt, quomodo circumrotatio Telluris commodiſſimè, cum gravium perpendiculari, ad centrum Terræ, delapſu: Et cum telorum rectâ ad ſcopum, in quamvis partem, jaculatione: Item cum ædificiorum, aquarum, arenarum, aliorumque corporum firmâ in Tellure cohæſione: Nec non cum perpetuo, integri alterutrius hemiſphærii cœleſtis, è Tellure conſpectu, ſemper quàm amiciſſimè ſubſiſtat. Illi itaque parum præſidii in iſtis invenientes, ad abſurditates, ex Sacrâ Scripturâ petitas, tanquàm ad Sacram anchoram præcipuè confugiunt. Et quamvis & illæ à me, & aliis, jamdiu etiam fuerint refutatæ, quia tamen in aliorum refutationibus revera abſurdus error etiamnum contineri ab iſtis creditur, idcirco, in aliquibus SS. Literarum effatis, ſententiæ ſuæ firmamentum etiam nunc immotum ſubſiſtere opinantur. Ideoque conſtitui, quàm breviſſimè potero, præcipua S. Scripturæ loca, nobis ab adverſariis objecta, paulò clariùs explicare, abſurditateſque ex aliorum quorundam reſponſionibus collectas, facili negotio penitus tollere, vel evitare.

Verba autem, ex Sacro Codice adverſus rotationem Telluris nobis objici ſolita, hæc potiſſima eſſe exiſtimo: Joſuæ cap. 10. verſ. 12. 13. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, quâ tradidit Amorrhæum, in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem-Ajalon. Steterumque Sol & Luna, donec ſe ulciſceretur gens de inimicis ſuis.* Et Pſalmo 18. 5. 6. 7. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe, tanquam ſponſus, procedens de thalamo ſuo;*

Exulta-

Exultavit ut gigas ad currendam viam; à ſummo cœlo egreßio ejus: Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Et Eccleſiaſtis cap. 1: 5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens, gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.*

Ad oſtendendum hæc divina oracula rotationi Telluris nihil adverſari; non dicam, cum quibuſdam Eruditis, quòd, cum Terræ globus circum ſuum axem quotidie ab occaſu in ortum rotatur, tum etiam Sol in medio noſtri cœli ſtans, & ſtellæ in cœli circuitu ipſum circumſiſtentes, revera & reapſe ab ortu in occaſum, moveantur, motu ſc., ut appellant, reſpectivò; propterea quòd ex motu, ut vocant, abſoluto Telluris, Sol & ſtellæ alium atque alium ſitum, ratione diverſarum partium Telluris, ſingulis momentis acquirant; atque ideo Sol cum ſtellis rectè & verè ac reapſe quotidie oriri & occidere, ſive ab ortu in occaſum reapſe moveri, in Sacris Literis dicatur. Talis enim reſponſio, pro inepto κρησφυγέτῳ, & effugio candidum & verum Philoſophum non decente, eſt habenda. Nam, ut corpus aliquod revera & reapſe moveatur, non ſufficit, ut tantùm ejus ſitus quocunque modo, ob alterius corporis motum, mutetur: utpote quod etiam in corpore aliquo quieſcente, à quo, vel verſus quod, aliud corpus movetur, fieri poteſt. Sed, ad verum motum corpori alicui attribuendum, neceſſariò etiam requiritur, ut corpus, quod revera eſt movendum, verum motus impetum, ſivè veram vim motivam, quâ de loco in locum verè transferatur, à motore revera impreſſam habeat. Atqui, dum Tellus circum axem ſuum quotidie ſemel circũvolvitur, & Sol & ſtellæ in cœlo ſtant & quieſcunt, nullus motûs impetus, ſive nulla vis motiva, ipſis à quoquam motore imprimitur: atque ideo nullus ortûs vel occaſûs motus, quocunque ille appelletur nomine, à candido, & vero philoſopho, Soli & ſtellis, in ſuis locis ſtantibus & permanentibus, eſt attribuendus.

Nec etiam cum aliis Eruditis dicam: Spiritum Sanctum in locis Sacris, modò prælectis, non ex ſuâ verâ, ſed tantùm ex erroneâ vulgi ſententiâ loqui. Ita enim Spiritus Divinus, qui, cum omnia noverit, etiam rotationem Telluris, cum illa verè detur, probè cognitam & perſpectam habet, dicendo, ex errroneâ vulgi ſententiâ, Solem & Lunam quotidie oriri & occidere; cum tamen revera non oriantur, nec occidant: itemque aſſerendo, Solis Lunæque motum, quo ab ortu in occaſum tendunt, tempore Joſuæ fuiſſe ſuffla-

minatum; cum tamen revera nullum motum verſus orientem, vel occidentem, unquam habuerint, vel habeant; contra propriam veramque mentis ſententiam loqueretur: atque ita meritò mendacii, quod tamen à divinâ ejus veracitate eſt alieniſſimum, argui poſſet.

Neque etiam cum aliis Doctis dicam: Sacram Scripturam, in locis iſtis, circa motum vel ſufflaminationem ortûs vel occaſûs iſtorum ſiderum, nihil definire. Cum illa in Sacris Scripturæ verbis, modò productis, quàm clariſſimè definiantur, & determinentur.

Verùm enim verò, ego, ad objectionem, ab effatis illis divinis, adverſus nos productis, reſpondeo: Spiritum Sanctum, cum in locis jam prælectis, *ſolem quotidie oriri & occidere, illumque tempore Ioſuæ, cum Luna, ſtetiſſe* dicit; non quidem ex erroneâ vulgi opinione; verùm ex communi vulgi loquendi more, ſive verbis à vulgo uſitatis, ſecundum apparentiam & veriſimilitudinem, tantum loqui: quia vulgus, imò omnes homines, à primis incunabulis, ad diem & noctem eorumque partes & cauſas deſignandas, Soli & Lunæ, in ſuis loquendi formulis, motum attribuere conſueverunt, quòd nullam in terrâ circumrotationem diurnam vel annuam oculis poſſint obſervare, dum quotidie Solem & ſidera ſenſim alium atque alium ſitum, ratione partium Telluris, acquirere conſpiciunt; atque ideo Sol & ſidera ipſis oriri & occidere verè videantur: ipſique, & alii, etiamſi cum ipſis de rei veritate non conſentiant, hinc tamen, cum ipſis, Solem & ſidera oriri & occidere, ſecundum apparentiam & veriſimilitudinem ſc., verè aſſerere poſſint. Quocirca in hac, aliâve quâlibet ſimili Sacræ ſcripturę locutione, eſt metaphoræ tropus meritò & indubitanter ſtatuendus: ita ùt loca illa, ſuperius propoſita, nihil aliud ſignificent, quàm, *quod Sol tempore Ioſuæ ſtanti & ſufflaminato ſimilis fuerit; ſive ſtare & ſufflaminari videretur: & quòd egreſſio Solis ab ortu in meridiem, & inde in occaſum, quotidie verè etiamnum fieri videatur.* Cumque hic tropus nec miraculum illud Dei, quo dies tempore Joſuæ, quando reges Amorrhæos ad internecionem prælio confecit, duplo, per motum Telluris, miraculoſè à Deo omnipotente ſufflaminatum, fuit longior; nec alia ſimilia miracula, in Sacris enarrata, deſtruat: Nec ullam rationem Phyſicam evertat: Cum illa miracula, & Phyſica ratio, cum hoc tropo optimè conſentiant; adverſariorum verò ſententia Naturæ rerum, ut antea demonſtravimus, penitus adverſetur. Huc accedit, quòd hic tropus, non durior, ſed multò mollior ſit iſtis catachreſibus & abuſivis locutionibus, quibus

Deo

Deo in Sacris pœnitentia,ira,furor, gaudium, triſtitia, aliaque à ratione & divinâ ejus perfectione alieniſſima,non propriè,ſed ſecundum communem vulgi loquendi morem,ex apparentiâ & veriſimilitudine natum, impropriè ſive per tropum, paſſim attribuuntur:Idcirco illa metaphora, quicquid alii nonnulli, etiam cum ridiculis & ridendis dicteriis, ne dicam calumniis,interdum contradicant;citra ullam difficultatem,vel ullum S.Scripturæ malè torquendæ, vel ullum alicujus mendacii in SS.Literis inveniendi metum,intrepidè eſt admittenda:Quia Solis aliorumque ſiderum motus & quies,item ortus & occaſus, quamvis non ſint veri ; verè tamen ſunt, fuerunt, & ſemper erunt veriſimiles,& cuivis adſpicienti verè apparentes.Unde patet,quòd in illis dictis Sacris,noſtrę ſententiæ oppoſitis,in quibus de ortu occaſu vel ſtatione Solis ſiderumve agitur,non magis ſermonis proprietas ſit exigenda;quã in illo vulgatiſſimo & paſſim obvio: *Provehimur portu,terraq; urbeſque recedunt*;in quo vox *recedunt*,manifeſtè nihil aliud ſignificat,quàm quòd terrę urbeſque,ob celerrimam navis cum vectoribus, ſe quieſcere opinantibus,provectionem,evidenter in contrarium recedere videntur.In utriſq; enim,non de motu vero,ſed veriſimili,& apparente,tantùm eſt ſermo.Et cum in illo vulgari,*provehimur portu,terraque urbeſque recedunt*,aliiſque ſimilibus dictis, quotidie obviis, metaphoricus loquendi modus paſſim quàm facillimè admittatur: nulla ratio eſt, cur non etiam ille nobis,in locis objectis facilè & amicè concedatur. Imò,cum in viſu rerum propinquarum, dum illas celeriùs prætervehimur,talis apparentia motûs, quamvis illæ revera quieſcant,nobis paſſim,quia oculos noſtros quieſcere opinamur, evidenter contingat : hinc facile intelligimus, in conſpiciendis corporibus cœleſtibus, immenſo ſpatio à nobis diſtantibus , talem illorum motûs apparentiam , quamvis illa revera quieſcant, in nobis , dum quotidie cum terrâ , in qua nos quieſcere putamus , ſpatio viginti quatuor horarum quàm celerrimè ſemel circumvolvimur , adhuc multò evidentiùs , in illis conſpiciendis, debere contingere ; ac proinde in locis Sacris jam jam prolatis , ubi de ortu occaſu & ſtatione corporum cœleſtium agitur , verba multò etiam magis , non de quiete & motu vero , ſed veriſimili & apparente tantùm eſſe intelligenda.

Pręter hæc S.Scripturæ loca,jam explicata,quęque præcipua eſſe dixi,quę adverſus noſtram ſententiam ex Sacro Codice produci poſſunt, etiam illa adduci à quibuſdam ſolent, in quibus Terra eſſe ſtabilis,

bilis, nec moveri dicitur: quale eſt illud Pſalmi 92: 2. *Etenim firmavit orbem Terræ, qui non commovebitur.* Et Pſalmi 103: 6. *Qui Fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Et Eccleſiaſtis 1: 4. *Generatio præterit, & generatio advenit, Terra autem in æternum ſtat.*

Verùm hæ Sacræ autoritates, ſi rectè inſpiciantur, ne minimum quidem adverſùs rotationem Telluris præbent argumentum. Agunt enim illæ de tali firmitudine & ſtabilitate Terræ, quâ illius partes firmiter inter ſe perpetuò cohærent, nec à ſe mutuò disjiciuntur, vel diſcedunt; item quâ Terra ſemper in eodem ſtatu manet, licèt innumeræ generationes & corruptiones animalium, ſtirpium, aliarumq; rerum, in eâ viciſſim paſſimque fiant. Hæc autem partium Telluris ſtabilitas & firmitudo perpetua non magis adverſatur circumrotationi Telluris diurnæ vel annuæ; quam ſtabilitas, firmitudo & cohæſio partium navis alicujus ex.gr. indicæ, adverſantur ejus navigationi, in varias & longinquas regiones, cum variis progreſſûs, retroceſſûs, inclinationis, obliquationis, aſcenſûs, deſcenſûs, circulationiſque motibus, peragendæ. Cum itaque firmitudo, ſtabilitas, & cohæſio partium navis, ejus variis motibus, in navigatione, etiam quàm maximè longinquâ, occurrentibus, nihil quicquam, teſte experientiâ, adverſentur: hinc patet firmitudinem & ſtabilitatem ac cohæſionem perpetuam partium Telluris, quarum loca S. Scripturæ, jam jam propoſita, meminerunt, nihil quicquam ejus rotationi diurnæ vel annuæ adverſari; ſed cum iis quàm commodiſſimè ſubſiſtere & conſentire.

Atque ita clariſſimè demonſtravimus, loca S. Scripturæ, quę tanquam nodi indiſſolubiles, adverſus rotationem Telluris diurnam & annuam, quâ dies & nox, item anni tempeſtates, ver ſc., æſtas, autumnus, & hyems, in eâ producuntur, vulgò in medium proferri conſueverunt, ei ne minimum quidem obeſſe; verùm cum eâ quàm amiciſſimè convenire. Unde poſthac jam futurum auguror, ut ii, qui nobis aſſentiuntur, in ſententiâ ſuâ magis ſint firmandi: qui verò à nobis diſſentiunt, ſi nondum nobis aſſenſum præbere queant; ut ſaltem mitius, leniùs, & magis amicè diſſentiant; memores iſtius notiſſimi:

Diſſentire duos animis de rebus iiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.

F I N I S

1008.21
9 955628

MC